



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Specvlvm Iuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphalorvm, 1615**

Theodorus martyr eiusq[ue] frater Theophantes 26. Decemb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

PVERITIA S. THEODORI MARTT̄RIS,  
 eiusq; fratris Theophanis 26. Decemb. ex Sim.  
 Metaphraſte. Sur. Tom. 6.

**B** Theodorus Hieroſolymis piſſimis na-  
 tus parentibus, ab ipſa ſtatim pueritia  
 acerrimo præditus fuit ingenio, non illo qui-  
 dem projecto ad res paruas & ludicras, quale  
 ſolet eſſe puerorum, ſed ad pulcherrimos &  
 honeſtiſſimos mores intento, in quibus animi  
 cultura conſiſtit. Nihil illi erat antiquius  
 quam in ſacris ædibus demorari: Nullaq; re  
 magis exultabat & gloriabatur, quam quod  
 parentibus pulchrè videretur obediens. Si-  
 mulac puerilem ætatem exceſſit, iubetur,  
 grammatice operam dare. Vt vero cum diſci-  
 plinarum exercitatione, ſtudium quoque vir-  
 tutis coniungeret, preſbytero cuidam in mo-  
 naſterio ſancti Sabæ erudiendus committitur.  
 Habebat autem fratrem quoque Thophanem  
 natu minore, qui ſancta fraternæ virtutis æ-  
 mulatione accenſus, in virtute ſecundas habe-  
 re nõ ſuſtinebat, ſed optimos imitatus picto-  
 res, fratrem imitandę virtutis quaſi exemplar  
 obſeruabat archetypũ. Atq; illic quidem ver-  
 ſebantur vtriq;: ſed S. Theodorus cum eſſet a-  
 cerrimi ingenij & exiguo temporis ſpatio om-  
 nem abſoluiffet eruditionẽ, captus ſublimio-  
 rũ amore diſciplinarũ, ad virum quendam eta-  
 te prouectum atq; per eruditum ſecõtulit. Vbi  
 facilitate ingenij atq; acri ſtudio, breui tẽpore

*Moribus  
honestis.*

*Pietas.*

*Obedientia.*

*Alacritas  
in studijs.*

multam sibi doctrinarum cumulauit sciētiam: quæ ex libris eius quos pro pietate conscripsit perspicuè cernitur: etiam si esset excelsior, quam ut ex eis ullam laudem ambiret. Dein vero ad pristinum se virtutis studium arctius obstringere cogitans, ad monasterium S. Sabæ reuertitur, & sua animi integritate dignis exercetur laboribus. Hinc quis Theodoro quidem moderatior? Quis autem ad cōtinendam iram generosior? Quis minus propensus ad explendas cupiditates? Quis dicendi & tacendi tempus magis obseruabat? Quis sic carnem castigauit, & oculū frenauit, & cogitationum repressit impetus? Quapropter omnium qui eodem in monasterio degebant suffragio in sacerdotum numerum cooptatur, non multo post martyrum choris sociandus.

EXEMPLVM S. MARCELLI ABBATIS  
monasterij Acemetorum 29. Decemb. ex Sim.  
Metaph. Sur. Tom. 6.

*Castitas.*

**M**arcellus Apameæ nobili loco natus, genus quod à maioribus acceperat virtutis splendore nobilius reddidit. Nam cum iam in ipso flore iuuentutis amisisset parentes, & ætatem ageret iucundissimam, non sicut iuuenis declinauit ad voluptates: neque delectabatur iuuenum consuetudine, æqualis æquali volens placere, ut dicitur: sed in iuuenili corpore, imitabatur canitiei prudentiam & vitæ institutionem. Quanquam ei aderant diuitiæ  
quæ

*Maturitas  
morum,*